

26. Quamvis autem sufficienter pro peccatis humani generis sua morte satisfecerit, ut vigesimasepta ratio proponebat; sunt tamen unicuique remedia propria salutis querenda. Mors enim Christi est quasi quaedam universalis causa salutis, sicut peccatum primi hominis fuit quasi universalis causa damnationis. Oportet autem universalem causam applicari ad unumquodque specialiter, ut effectum universalis causae participet. Effectus igitur peccati primi parentis pervenit ad unumquemque per carnis originem; effectus autem mortis Christi pertingit ad unumquemque per spiritualem regenerationem, per quam homo Christo quodammodo conjungitur, & incorporatur: & ideo oportet quod unusquisque quaerat regenerari per Christum, & alia suscipere in quibus virtus mortis Christi operatur.

27. Ex quo patet quod effluxus salutis à Christo in homines, non est per naturam propaginem, sed per studium bonae voluntatis, qua homo Christo adheret; & sic quod à Christo unusquisque consequitur, est personale bonum: unde non derivatur ad posterum, sicut peccatum primi parentis, quod cum naturam propagine producit. Et inde est quod licet parentes sint à peccato originali mundati per Christum, non tamen est inconveniens quod eorum filii cum peccato originali nascantur, & sacramentis salutis indigeant, ut vigesimaseptima ratio (1) concludebat.

Sic igitur ex praemissis aliquatenus patet quod ea quae circa mysterium incarnationis fides catholica praedicat, neque impossibilia, neque incongrua inveniuntur.

CAPUT LVI.

De necessitate sacramentorum.

III. Part. quest. lxi. art. 1. & IV. Sentent. dist. 1. quest. 1. art. 2.

Quia vero, sicut jam dictum est, mors Christi est quasi universalis causa humanae salutis; universalem autem causam oportet applicari ad unumquemque effectum; necessarium fuit exhiberi hominibus quaedam remedia per quae eis beneficium mortis Christi quodammodo conjungeretur. Hujusmodi autem esse dicuntur Ecclesiae sacramenta: hujusmodi autem remedia oportuit cum aliquibus visibilibus signis tradi.

1. Primo quidem quia sicut caeteris rebus, ita etiam homini Deus providet secundum ejus conditionem. Est autem talis hominis conditio quod ad spiritualia, & intelligibilia capienda naturaliter per sensibilia deducitur. Oportuit igitur spiritualia remedia hominibus sub signis sensibilibus dari.

2. Secundo, quia instrumenta oportet esse primae causae proportionata. Prima autem, & universalis causa humanae salutis est verbum incarnatum, ut ex praemissis apparet. Congruum igitur fuit ut remedia quibus universalis causae virtus pertingit ad homines, illius causae similitudinem haberent, ut scilicet in eis virtus divina invisibiliter operaretur sub visibilibus signis.

3. Tertio, quia homo in peccatum lapsus erat, rebus visibilibus indebite inhærendo. Ne igitur crederetur visibilia ex sui natura mala esse, & propter hoc ei inhærentes peccasse per ipsa visibilia, congruum fuit quod hominibus remedia salutis adhiberentur; ut

sic apparet ipsa visibilia ex sui natura bona esse, velut à Deo creata; sed hominibus noxia fieri, secundum quod eis inordinate inhærent; salutifera vero, secundum quod ordinate eis utuntur.

Ex hoc autem excluditur error quorundam hæreticorum, qui omnia hujusmodi visibilia à sacramentis Ecclesiae volunt esse removenda. Nec mirum, quia ipsi opinantur omnia visibilia ex sui natura mala esse, & ex malo auctore producta, quod in secundo Libro reprobavimus.

Nec est inconveniens quod per res visibiles, & corporales spiritualis salus ministretur: quia hujusmodi visibilia sunt quasi quaedam instrumenta Dei incarnati, & passi. Instrumentum autem non operatur, ex virtute suae naturae, sed ex virtute principalis agentis, à quo applicatur ad operandum. Sic igitur, & hujusmodi res visibiles salutem spiritualem operantur, non ex proprietate suae naturae, sed ex institutione ipsius Christi, ex qua virtutem instrumentalem consequuntur.

CAPUT LVII.

De distinctione sacramentorum veteris, & novae legis.

III. Part. quest. lxxii. art. 6.

Deinde considerandum est, quod cum hujusmodi visibilia sacramenta ex passione Christi efficaciam habeant, & ipsam quodammodo representent, talia ea esse oportet ut congruant saluti factae per Christum. Hæc autem salus ante Christi incarnationem, & mortem erat quidem promissa, sed non exhibita; sed verbum incarnatum, & passum est salutem hujusmodi operatum. Sacramenta igitur quae incarnationem Christi præcesserunt, talia esse oportuit ut significarent, & quodammodo repræsentarent salutem; sacramenta autem quae Christi passionem consequuntur, talia esse oportet ut salutem hominibus exhibeant, & non solum signando demonstrant.

Per hoc autem evitatur Judæorum opinio, qui credunt sacramenta legalia, propter hoc quod à Deo sunt insitura, in perpetuum esse servanda, cum Deus non poeniteat, neque mutetur. Fit autem absque mutatione disponens, vel poenitentia, quod diversa disponat secundum congruentiam temporum diversorum: sicut paterfamilias alia præcepta tradit filio parvulo, & alia jam adulto: sic & Deus congruenter alia sacramenta, & præcepta ante incarnationem tradidit ad significandum futura, alia post incarnationem ad exhibendum præsentia & rememorandum præterita.

Magis autem irrationabilis est Nazæorum, & Helonitarum error, qui sacramenta legalia simul cum Evangelio dicebant esse servanda: quia hujusmodi error quasi contraria implicat: dum enim servant evangelica sacramenta, profitentur incarnationem, & alia Christi mysteria jam esse perfecta; dum autem etiam sacramenta legalia servant, profitentur ea esse futura.

CA-

(1) Deest hæc obiectio vigesimaseptima, ut videre licet cap. lxi.

CAPUT LVIII.

De numero sacramentorum novae legis.

III. Part. quest. lxxv. art. 1.

Quia vero, ut dictum est cap. lvi. remedia spiritualis salutis sub signis sensibilibus sunt hominibus tradita, consequens etiam fuit ut distinguerentur remedia quibus provideretur spirituali vitae secundum similitudinem vitae corporalis. In vita autem corporali duplicem ordinem invenimus. Sunt enim propagatores, & ordinatores corporalis vitae in aliis, & sunt qui propagantur, & ordinantur secundum corporalem vitam. Vitae autem corporali, & naturali tria sunt per se necessaria, & quartum per accidens. Oportet enim primo quod per generationem, seu natiuitatem res aliqua vitam accipiat; secundo quod per augmentum ad debitam quantitatem, & robur perveniat; tertio ad conservationem vitae per generationem adeptam, & ad augmentum perductam, est necessarium nutrimentum; & hæc quidem sunt per se necessaria naturali vitae, quia sine his vita corporalis perfici non potest: unde & animæ vegetativæ, quæ est vivendi principium, tres vires naturales assignantur, scilicet generativa, augmentativa, & nutritiva. Sed quia contingit aliquod impedimentum circa vitam corporalem, ex quo res viva infirmatur, per accidens necessarium est quartum, quod est sanatio rei viventis ægrotae. Sic igitur & in vita spirituali primum est spiritualis generatio per baptismum, secundum est spirituale augmentum perducens ad robur perfectum per sacramentum confirmationis; tertium est spirituale nutrimentum per Eucharistiæ sacramentum; restat quartum, quod est spiritualis sanatio, quæ fit vel in anima tantum per poenitentiae sacramentum, vel ex anima derivatur ad corpus, quando fuerit opportunum, per extremam unctionem. Hæc igitur pertinent ad eos qui in vita spirituali propagantur, & conservantur. Propagatores autem, & ordinatores corporalis vitae secundum duo attenduntur, scilicet secundum originem naturalem, quod ad parentes pertinet, & secundum regimen politicum, per quod vita hominis pacifica conservatur, & hoc pertinet ad Reges, & Principes. Sic igitur est in spirituali vita. Sunt enim quidam propagatores, & conservatores spiritualis vitae secundum spirituale ministerium tantum, ad quod pertinet ordinis sacramentum; quidam vero secundum corporalem, & spirituales simul, quod fit per sacramentum matrimonii, quo vir, & mulier conveniunt ad prolem generandam, & educandam ad cultum divinum.

CAPUT LIX.

De baptismo.

III. Part. quest. lxxvi.

Secundum hoc igitur apparere potest circa sacramenta singula & effectus proprius uniuscujusque, & materia conveniens; & primo quidem circa spiritualem generationem, quæ per baptismum fit.

Considerandum est igitur quod generatio rei viventis est mutatio quaedam de non vivente ad vitam. Vita autem spirituali privatus est non vivente ad vitam. Vita autem spirituali privatus est non vivente ad vitam. Vita autem spirituali privatus est non vivente ad vitam. Vita autem spirituali privatus est non vivente ad vitam.

vita. Oportuit igitur baptismum, qui est spiritualis generatio, talem virtutem habere quod etiam peccatum originale, & omnia actualia peccata commissa tollat. Et quia signum sacramenti sensibile congruum debet esse ad representandum spiritualem sacramenti effectum; foeditatis autem ablutio in rebus corporalibus facilius, & convenientius fit per aquam; adcirco baptismus convenienter in aqua confertur per verbum Dei sanctificata. Et quia generatio unius est alterius corruptio, & quod generatur, priorem formam amittit, & proprietates ipsam consequentes; necesse est quod per baptismum, qui est spiritualis generatio, non solum peccata tollantur, quæ sunt spirituali vitae contraria, sed etiam omnes peccatorum reatus; & propter hoc baptismus non solum à culpa abluit, sed etiam ab omni reatu poenae absolvit: unde baptizati satisfactio non injungitur pro peccatis.

Item cum per generationem res formam acquirat, simul acquirat & operationem consequentem formam, & locum ei congruentem; ignis enim mox generatus tendit sursum sicut in proprium locum: & ideo cum baptismus sit spiritualis generatio, statim baptizati idonei sunt ad spirituales actiones, sicut ad susceptionem aliorum sacramentorum, & ad alia hujusmodi; & statim eis debetur locus congruus spirituali vitae, qui est beatitudo æterna: & propter hoc baptizati, si decedant, statim in beatitudine recipiuntur; unde dicitur: quod baptismus aperit januam caeli.

Considerandum est etiam, quod unius rei est tantum una generatio. Unde cum baptismus sit spiritualis generatio, unus homo est semel tantum baptizandus. Manifestum est etiam quod infectio, quæ per Adam in mundum intravit, semel tantum hominem inquinat: unde & baptismus, qui contra eam principaliter ordinatur, iterari non debet. Hoc etiam commune est quod ex quo res aliqua semel consecrata est, quamdiu manet, ulterius consecrari non debet, ne consecratio inefficax videatur: unde cum baptismus sit quaedam consecratio hominis baptizati, non est iterandum baptismum. Per quod excluditur error Donatistarum, vel Rebaptizantium.

CAPUT LX.

De confirmatione.

III. Part. quest. lxxvii. & IV. Sent. dist. vii.

Perfectio autem spiritualis roboris in hoc proprie consistit quod homo fidem Christi confiteri audeat coram quibuscumque; nec inde retrahatur propter confusionem aliquam, vel terrorem: fortitudo enim inordinatum timorem repellit. Sacramentum igitur quo spirituale robur regenerato confertur, eum quodammodo instituit pro fide Christi propugnatores. Et quia pugnantibus sub aliquo Principe, ejus insignia deferunt, hi qui confirmationis sacramentum suscipiunt, signo Christi insigniuntur, videlicet signo crucis, quo pugnavit, & vicit. Hoc autem signum in fronte suscipiunt in signum quod publice fidem Christi confiteri non erubescant. Hæc autem insignitio fit ex confectioe olei, & balsami, quæ chrisma vocatur, non irrationabiliter. Nam per oleum Spiritus Sancti virtus designatur, quo Christus unctus nominatur; ut sic à Christo Christiani dicantur, quasi sub ipso militantes. In balsamo autem propter odorem bona fama ostenditur, quam necesse est habere eos qui inter mundanos conversantur, ad fidem Christi publice confitentem, quasi in campum certaminis de-

Vv

se-

secretis Ecclesie finibus producti. Convenienter etiam hoc sacramentum a solis Pontificibus confertur, qui sunt quodammodo duces exercitus christiani: nam & apud secularem militiam ad ducem exercitus pertinet ad militiam eligendo quosdam adscribere; ut sic qui hoc sacramentum suscipiunt, ad spiritualem militiam quodammodo videantur adscripti: unde & eis manus imponitur ad designandam derivationem virtutis a Christo.

CAPUT LXI.

De Eucharistia.

III. Part. quest. LXXII. & seq. & IV. Sent. dist. VIII. & seq.

Sicut autem corporalis vita materiali alimento indiget non solum ad quantitatis augmentum, sed etiam ad naturam corporis sustentandam, ne propter resolutiones continuas dissolvatur, & ejus virtus depereat; ita necessarium fuit in spiritali vita spirituale alimentum habere, quo regenerati & in virtutibus conserventur, & crescant. Et quia spirituales effectus sub similitudine visibilium fiunt, congruum fuit nobis tradi, ut dictum est, hujusmodi spirituale alimentum sub speciebus illarum rerum quibus homines communiter ad corporale alimentum utuntur. Hujusmodi autem sunt panis, & vinum: & ideo sub speciebus panis, & vini hoc traditur sacramentum.

Sed considerandum est, quod aliter generans generato conjungitur, & aliter nutrimentum nutritio in corporalibus rebus. Generans enim non oportet secundum substantiam generato conjungi, sed solum secundum similitudinem, & virtutem; sed alimentum oportet nutritio secundum substantiam conjungi. Unde ut corporalibus signis spirituales effectus respondeant, mysterium verbi incarnati aliter nobis conjungitur in baptismo, qui est spiritalis regeneratio, atque aliter in hoc Eucharistie sacramento, quod est spirituale alimentum: in baptismo enim continetur verbum incarnatum solum secundum virtutem, sed in Eucharistie sacramento confitemur ipsum secundum substantiam contineri. Et quia complementum nostre salutis factum est per passionem Christi, & mortem, per quam ejus sanguis a carne separatus est; separatim nobis traditur sacramentum corporis ejus sub specie panis, & sanguis sub specie vini; ut sicut in hoc sacramento passionis dominice memoria, & representatio habeatur. Et secundum hoc impletur quod Dominus dixit Joan. vi. 56. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.*

CAPUT LXII.

De errore infidelium circa Eucharistie sacramentum.

Sicut autem Christo proferente hæc verba, quidam discipulorum turbati sunt, dicentes, Joan. vi. 6. *Durus est hic sermo: quis potest eum audire?* ita & contra doctrinam Ecclesie insurrexerunt hæretici veritatem hujus negantes. Dicunt enim in hoc sacramento non realiter esse corpus, & sanguinem Christi, sed significative tantum; ut sic intelligatur quod Christus dixit demonstrato pane, *Hoc est corpus meum*, ac si diceret, hoc est signum, vel figura corporis mei: secundum quem modum & Apostolus dixit I. Corinth. x. 4. *Petra autem erat Christus*, id est Christi figura. Et ad hunc intellectum referunt quidquid in Scripturis invenitur similiter dici.

Hujus autem opinionis occasionem assumunt ex verbis Domini, qui de sui corporis comestione, & sanguinis potatione, ut scandalum discipulorum, quod ortum fuerat, sopiretur, quasi se ipsum exponens, dixit, Joan. vi. 64. *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt*, quasi ea quæ dixerat, non ad litteram, sed secundum spirituales sensum intelligenda essent.

Inducuntur etiam ad dissentendum ex multis difficultatibus quæ ad hanc Ecclesie doctrinam sequi videntur, propter quas hic sermo Christi, & Ecclesie durus eis apparer.

Et primo quidem difficile videtur quomodo verum corpus Christi in altari esse incipiat. Aliquid enim incipit esse ubi prius non fuit, dupliciter, vel per motum localem, vel per conversionem alterius in ipsum; ut patet in igne, qui alicubi esse incipit, vel quia ibi de novo accenditur, vel quia illuc de novo apponitur. Manifestum est autem verum corpus Christi non semper in hoc altari fuisse: confiteretur enim Ecclesia Christum in suo corpore ascendisse in cælum. Videtur autem impossibile dici, quod aliquid hic de novo convertatur in corpus Christi: nihil enim videtur converti in præexistens, cum id in quod aliquid convertitur, per hujus conversionem esse incipiat. Manifestum est autem corpus Christi præexistisse, utpote in utero virginali conceptum. Non igitur videtur esse possibile quod in altari de novo esse incipiat per conversionem alterius in ipsum. Similiter autem nec per mutationem loci. Quia omne quod localiter movetur, sic incipit esse in uno loco quod desinit esse in alio in quo prius fuit. Oportebit igitur dicere, quod cum Christus incipit esse in hoc altari, in quo hoc sacramentum peragitur, desinat esse in cælo, quo ascendendo pervenerat. Amplius, nullus motus localis terminatur simul ad duo loca. Manifestum est autem hoc sacramentum simul in diversis altaribus celebrari. Non est ergo possibile quod per motum localem corpus Christi ibi esse incipiat.

Secunda difficultas ex loco accidit. Non enim semotim partes alicujus in diversis locis continentur ipso integro permanente. Manifestum est autem in hoc sacramento seorsum esse panem, & vinum in locis separatis. Si igitur caro Christi sit sub specie panis, & sanguis sub specie vini, videtur sequi quod Christus non remaneat integer, sed semper cum hoc sacramentum agitur, ejus sanguis a corpore separetur.

Adhuc. Impossibile videtur quod majus corpus in loco minoris includatur. Manifestum est autem verum corpus Christi esse majoris quantitatis quam panis qui in altari offertur. Impossibile igitur videtur quod verum corpus Christi totum & integrum sit ubi videtur esse panis. Si autem ibi est non totum, sed aliqua pars ejus; redibit primum inconueniens, quod semper cum hoc sacramentum agitur, corpus Christi per partes discernatur.

Amplius. Impossibile est unum corpus in pluribus locis existere. Manifestum est autem hoc sacramentum in pluribus locis celebrari. Impossibile igitur videtur quod corpus Christi veraciter in hoc sacramento contineatur. Nisi forte quis dicat, quod secundum aliquam particulam est hic, & secundum aliam alibi. Ad quod iterum sequitur quod per celebrationem hujusmodi sacramenti corpus Christi dividatur in partes, cum tamen nec quantitas corporis Christi sufficere videatur ad tot particulas ex eo dividendas, in quot locis hoc sacramentum peragitur.

Tertia difficultas est ex his quæ in hoc sacramento sensu percipimus. Sentimus enim manifeste & post con-

consecrationem in hoc sacramento omnia accidentia panis, & vini, scilicet colorem, saporem, odorem figuram, quantitatem, & pondus, circa quæ decipi non possumus, quia sensus circa propria sensibilia non decipitur. Hujusmodi autem accidentia in corpore Christi esse non possunt sicut in subjecto. Similiter etiam nec in aere adjacenti: quia cum plurima eorum sint accidentia naturalia, requirunt subjectum determinate naturæ, non qualis est natura corporis humani, vel aeris. Nec etiam possunt per se subsistere, cum accidentis esse sit inesse. Accidentia autem, cum sint formæ, individuari non possunt nisi per subjectum: unde remoto subjecto essent formæ universales. Relinquitur igitur hujusmodi accidentia esse in suis determinatis subjectis, scilicet in substantia panis, & vini. Est igitur substantia panis, & vini, & non substantia corporis Christi; cum impossibile videatur duo corpora esse simul.

Quarta difficultas accidit ex passionibus, & actionibus, quæ apparent in pane, & vino post consecrationem sicut et ante. Nam vinum si in magna quantitate sumeretur, calefaceret, & inebriaret; panis autem & confortaret, & nutrirer. Videntur etiam, si diu, & incaute serventur, putrefieri, & a muribus comedi. Comburi etiam possunt, & in cinerem redigi, & vaporem. Quæ omnia corpori Christi convenire non possunt, cum fides ipsum impassibile prædicet. Impossibile igitur videtur quod corpus Christi in hoc sacramento substantialiter contineatur.

Quinta difficultas videtur specialiter accidere ex fractione panis, quæ quidem sensibiliter apparet, nec sine subjecto esse potest. Absurdum etiam videtur dicere, quod illius fractionis subjectum sit corpus Christi. Non igitur videtur ibi esse corpus Christi, sed solum substantia panis, & vini.

Hæc igitur, & hujusmodi sunt propter quæ doctrina Christi, & Ecclesie circa hoc sacramentum dura esse videtur.

CAPUT LXIII.

Solutio præmissarum difficultatum, & primo quo ad conversionem panis in corpus Christi.

Incet autem divina virtus sublimis, & secretius in hoc sacramento operetur quam ab homine perquiri possit; ne tamen doctrina Ecclesie circa hoc sacramentum infidelibus impossibilis videatur, conandum est ad hoc quod omnis impossibilitas excludatur.

Prima igitur occurrit consideratio, per quem modum verum Christi corpus esse sub hoc sacramento incipiat. Impossibile autem est quod hoc fiat per motum localem corporis Christi: tum quia sequeretur quod in cælo esse desineret, quandocumque hoc agitur sacramentum: tum quia non posset simul hoc sacramentum agi nisi in uno loco, cum unus motus localis non nisi ad unum terminum finiatur: tum etiam quia motus localis instantaneus esse non potest, sed tempore indiget; consecratio autem perficitur in ultimo instanti prolationis verborum. Relinquitur ergo dicendum, quod verum corpus Christi esse incipiat in hoc sacramento per hoc quod substantia panis convertitur in substantiam corporis Christi, & substantia vini in substantiam sanguinis ejus.

Ex hoc autem apparet falsam esse opinionem tam eorum qui dicunt, substantiam panis simul cum substantia corporis Christi in hoc sacramento existere; quam etiam eorum qui ponunt, substantiam panis in nihilum redigi, vel in primam materiam re-

solvi. Ad utrumque enim sequitur quod corpus Christi in hoc sacramento esse incipere non possit nisi per motum localem; quod est impossibile, ut ostensum est.

Præterea. Si substantia panis simul est in hoc sacramento cum vero corpore Christi, potius Christo dicendum fuit: *Hic est corpus meum*, quam *hoc est corpus meum*; cum per *hic* demonstratur substantia quæ videtur, quæ quidem est substantia panis, si in sacramento cum corpore Christi remaneat.

Similiter impossibile videtur esse quod substantia panis omnino in nihilum redeat. Multum enim de natura corporea primo creata jam in nihilum redisset ex frequentatione hujusmodi mysterii. Nec est decessus ut in sacramento salutis divina virtute aliquid in nihilum redigatur.

Nec etiam in primam materiam substantiam panis est possibile resolvi; cum materia prima sine forma esse non possit, nisi forte per materiam primam prima elementa corporea intelligantur: in quæ quidem si substantia panis resolveretur, necesse esset hoc ipsum percipi sensu, cum elementa corporea sensibilia sint. Esset etiam ibi localis transmutatio, & corporalis alteratio contrariorum, quæ instantanea esse non possunt.

Sciendum tamen est, quod prædicta conversio panis in corpus Christi, alterius modi est ab omnibus conversionibus naturalibus. Nam in qualibet conversione naturali manet subjectum in quo succedunt sibi diversæ formæ, vel accidentales, sicut cum album in nigrum convertitur, vel substantiales, sicut cum aer in ignem, unde conversiones formales nominantur. Sed in conversione prædicta subjectum transit in subjectum, & accidentia manent, unde hæc conversio substantialis nominatur. Et quidem qualiter hæc accidentia maneant, & quare, posterius perscrutandum est. Nunc autem considerare oportet, quomodo subjectum in subjectum vertatur: quod quidem natura facere non potest. Omnis enim natura operatio materiam præsupponit, per quam subjecta individuantur: unde natura facere non potest quod hæc substantia fiat illa, sicut quod hic digitus fiat ille digitus. Sed materia subjecta est virtuti divinæ, cum per ipsam producatur in esse: unde divina virtute fieri potest quod hæc individuata substantia in illam præexistentem convertatur. Sicut enim virtute naturalis agentis, cujus operatio se extendit tantum ad imutationem formæ, & existentia subjecti supposita, hoc totum in illud totum convertitur secundum variationem speciei, & formæ, utpote hic aer in hunc ignem generatum; ita virtute divina, quæ materiam non præsupponit, sed eam producit, hæc materia convertitur in illam, & per consequens hoc individuum in illud: individuationis enim principium materia est, sicut forma est principium speciei. Hinc autem manifestum est quod in conversione prædicta panis in corpus Christi, non est aliquod subjectum commune permanens post conversionem; cum transmutatio fiat secundum primum subjectum, quod est individuationis principium: necesse est tamen aliquid remanere, ut verum sit quod dicitur: *Hoc est corpus meum*: quæ quidem verba sunt hujus conversionis significativa, & factiva. Et quia substantia panis non manet, nec aliqua prior materia, ut ostensum est, necesse est dicere, quod maneat id quod est præter substantiam panis: hujusmodi autem est accidens panis. Remanent igitur accidentia panis etiam post conversionem prædictam.

Inter accidentia vero quidam ordo considerandus est. Nam inter omnia accidentia propinquius inhaeret substantiae quantitas dimensiva, deinde qualitates in substantia recipiuntur quantitate mediante, sicut color mediante superficie: unde & per divisionem quantitatis, per accidens alia accidentia dividuntur. Ulterius autem qualitates sunt actionum, & passionum principia, & relationum quarundam, ut sunt pater, & filius, & dominus, & servus, & alia huiusmodi; quaedam vero relationes immediate ad quantitates sequuntur, ut majus & minus, duplum, & dimidium, & similia. Sic igitur accidentia panis post conversionem praedictam remanere ponendum est, ut sola quantitas dimensiva sine subiecto subsistat, & in ipsa qualitates fundentur sicut in subiecto, & per consequens actiones, passiones, & relationes. Accidit igitur in hac conversione contrarium ei quod in naturalibus mutationibus accidere solet, in quibus substantia manet ut mutationis subiectum, accidentia vero variantur; hic autem est converso accidens manet, & substantia transit. Huiusmodi enim conversio non potest proprie dici motus, sicut a naturali consideratur, ut subiectum requirit; sed est quaedam substantialis successio, sicut in creatione est successio esse, & non esse, ut in secundo Lib. cap. XIX. dictum est.

Haec igitur est una ratio quare accidens panis remanere oportet, ut inveniatur aliquod manens in conversione praedicta. Est autem & praeter hoc aliud necessarium. Si enim substantia panis in corpus Christi converteretur, & panis accidentia transirent; ex tali conversione non sequeretur quod corpus Christi, secundum suam substantiam, esset ibi ubi prius fuit panis; nulla enim relinqueretur habitudo corporis Christi ad locum praedictum. Sed cum quantitas dimensiva panis remanet post conversionem, per quam panis hunc locum sortiebatur, substantia panis in corpus Christi mutata, fit corpus Christi sub quantitate dimensiva panis, & per consequens locum panis quodammodo sortitur, median- tibus tamen dimensionibus panis.

Possunt & aliae rationes assignari & quantum ad fidei rationem, quae (1) de invisibilibus est, & quantum ad meritum, quod circa hoc sacramentum tanto majus est, quanto invisibilibus agitur; corpore Christi sub panis accidentibus occultato, propter commodiorem, & honestiorem usum sacramenti: esset enim horri sumentibus, & abominationi videntibus, si corpus Christi in sua specie a fidelibus sumeretur. Unde sub specie panis, & vini, quibus homines communius utuntur ad esum, & potum, corpus Christi proponitur ad manducandum, & sanguis potandus.

CAPUT LXIV.

Solutio eorum quae obijciuntur ex parte loci.

HIS igitur consideratis circa modum conversionis, ad alia solvenda nobis aliquatenus via patet. Dicitur enim, quod locus in quo agitur sacramentum, attribuitur corpori Christi ratione dimensionum panis remanentium post conversionem substantiae panis in corpus Christi. Secundum hoc igitur ea quae Christi sunt, necesse est esse in loco praedicto, secundum quod exigit ratio conversionis praedictae.

(1) *Al. de indivisibilibus.*

Considerandum est igitur, in hoc sacramento aliquid esse ex vi conversionis, aliquid autem ex naturali concomitantia. Ex vi quidem conversionis est in hoc sacramento illud ad quod directe conversio terminatur: sicut sub speciebus panis corpus Christi, in quod substantia panis convertitur, ut per verba consecrationis patet, cum dicitur, *Hoc est corpus meum*; & similiter sub specie vini est sanguis Christi, cum dicitur: *Hic est calix sanguinis mei* &c. Sed ex naturali concomitantia sunt ibi omnia alia, ad quae conversio non terminatur, sed tamen ei in quod terminatur, sunt realiter conjuncta. Manifestum est enim quod conversio panis non terminatur in Divinitatem Christi, neque in ejus animam; sed tamen sub specie panis est anima Christi, & ejus Divinitas propter unionem utriusque ad corpus Christi. Si vero in triduo mortis Christi hoc sacramentum celebratum fuisset, non fuisset sub specie panis anima Christi, quia realiter non erat corpori ejus unita; & similiter nec sub specie panis fuisset sanguis, nec sub specie vini corpus propter separationem utriusque in morte. Nunc autem quia corpus Christi in sua natura non est sine sanguine, sub utraque specie continetur corpus, & sanguis; sed sub specie panis continetur corpus ex vi conversionis, sanguis autem ex naturali concomitantia, sub specie autem vini est converso.

Per eadem etiam patet solutio ad id quod obijciatur de inaequalitate corporis Christi ad locum panis. Substantia enim panis directe convertitur in substantiam corporis Christi. Dimensiones autem corporis Christi sunt in sacramento ex naturali concomitantia, non autem ex vi conversionis; cum dimensiones panis remaneant. Sic igitur corpus Christi non comparatur ad hunc locum median- tibus dimensionibus propriis, ut eis oporteat adaequari locum, sed median- tibus dimensionibus panis remanentibus, quibus locus adaequatur.

Inde etiam patet solutio ad id quod obijciatur de pluralitate locorum. Corpus enim Christi per suas proprias dimensiones in uno tantum loco existit, sed median- tibus dimensionibus panis in ipsum transeuntis in tot locis est, in quos huiusmodi conversio fuerit celebrata, non quidem divisum per partes, sed integrum id unoquoque: nam quilibet panis consecratus in integrum corpus Christi convertitur.

CAPUT LXV.

Solutio eorum quae obijciuntur ex parte accidentium.

SIC igitur difficultate soluta quae ex loco accidit, inspiciendum est de ea quae ex accidentibus remanentibus esse videtur. Non enim negari potest accidentia panis, & vini remanere, cum sensus hoc infallibiliter demonstret; neque his corpus Christi, aut sanguis afficitur, quia hoc sine ejus alteratione esse non posset, nec talium accidentium capax est: similiter autem, & substantia aeris. Unde relinquitur quod sint sine subiecto; tamen per modum praedictum, ut scilicet sola quantitas dimensiva sine subiecto subsistat, & ipsa aliis accidentibus praebet sustentamentum. Nec est impossibile quod accidens virtute divina subsistere possit sine subiecto. Idem enim est judicandum de productione rerum, & de conservatione earum in esse. Divina autem virtus potest producere effectus quarumcumque causarum secundum.

eundarum sine ipsis causis secundis, sicut potuit formare hominem sine semine, & sanare febrem sine operatione naturae: quod accidit propter infinitatem virtutis ejus, & quia omnibus causis secundis largitur virtutem agendi, unde & effectus causarum secundarum conservare potest in esse sine causis secundis. Et hoc modo in hoc sacramento accidens conservat in esse, sublata substantia, quae ipsum conservabat: quod quidem praecipue dici potest de quantitatibus dimensivis, quas etiam Platonici posuerunt per se subsistere, propter hoc quod secundum intellectum separantur. Manifestum est autem quod plus potest Deus in operando, quam intellectus in apprehendendo. Habet autem & hoc proprium quantitas dimensiva inter accidentia reliqua, quod ipsa secundum se individuatur: quod ideo est, quia positio quae est ordo partium in toto, in ejus ratione includitur: est enim quantitas positionem habens. Ubi cumque autem intelligitur diversitas partium ejusdem speciei, necesse est intelligi individuationem: nam quae sunt unius speciei, non multiplicantur nisi secundum individuum: & inde est quod non possunt apprehendi multae albedines, nisi secundum quod sunt in diversis subiectis; possunt autem apprehendi multae lineae, etiam si secundum se considerentur: diversus enim situs qui per se lineae inest, ad pluralitatem linearum sufficiens est. Et quia sola quantitas dimensiva de sui ratione habet unde multiplicatio individuum in eadem specie potest accidere, prima radix huiusmodi multiplicationis ex dimensione esse videtur: quia & in genere substantiae multiplicatio fit secundum dimensionem materiae: quae nec intelligi posset, nisi secundum quod materia sub dimensionibus consideratur: nam remota quantitate, substantia omnis indivisibilis est, ut patet per Philosophum I. Physic. text. comm. xv. Manifestum est autem quod in aliis generibus accidentium multiplicatur individua ejusdem speciei ex parte subiecti. Et sic relinquitur quod cum in huiusmodi sacramento ponamus dimensiones per se subsistere, & alia accidentia in eis sicut in subiecto fundari; non oportet nos dicere, quod accidentia huiusmodi individuata non sint, remanet enim in ipsis dimensionibus individuationis radix.

CAPUT LXVI.

Solutio eorum quae obijciuntur ex parte actionis, & passionis.

HIS autem consideratis, quae ad quartam difficultatem pertinent, consideranda sunt: circa quae aliquid est quod de facili expediri potest; aliquid autem quod majorem difficultatem praetendit.

Quod enim in sacramento eadem actiones appareant quae prius in substantia panis, & vini apparebant, puta quod similiter immutent sensum, similiter etiam alterent aerem circumstantem, vel quodlibet aliud odore, aut colore: satis conveniens videtur ex his quae posita sunt. Dicitur enim cap. LXVII. quod in hoc sacramento remanent accidentia panis, & vini, inter quae sunt qualitates sensibiles, quae sunt huiusmodi actionum principia. Rursus circa passionem aliquam, puta quae sunt secundum alterationes huiusmodi accidentium, non magna etiam difficultas accidit, si praemissa supponantur. Quum enim praemissum sit quod alia accidentia in dimen-

(1) *Al. aut combustionem.*

sionibus fundantur sicut in subiecto, per eundem modum circa huiusmodi subiectum alteratio aliorum accidentium considerari potest, sicut si esset ibi substantia; ut puta si vinum esset calefactum, & infrigidaretur, aut mutaret saporem, aut aliquid huiusmodi.

Sed maxima difficultas apparet circa generationem, & corruptionem, quae in hoc sacramento videtur accidere. Nam si quis in magna quantitate hoc sacramentali cibo uteretur, sustentari posset, & vino etiam inebriari, secundum illud Apostoli I. Corinth. XI. 21. *Alius esurit, alius autem ebrius est.* Quae quidem accidere non possent, nisi ex hoc sacramento caro, & sanguis generaretur: nam nutrimentum convertitur in substantiam nutriti. Quamvis quidam dicant hominem hoc sacramentali cibo non posse nutririi, sed solum confortari, & refocillari, sicut cum ad odorem vini confortatur. Sed haec quidem confortatio ad horam accidere potest; non autem sufficit ad sustentandum hominem, si diu sine cibo permaneat: experimento autem de facili inveniretur, hominem diu sacramentali cibo sustentari posse. Mirandum etiam videtur, cur negent hominem hoc sacramentali cibo posse nutririi, refugientes hoc sacramentum in carnem, & sanguinem posse convertiri: cum ad sensum appareat quod per putrefactionem, vel combustionem in aliam substantiam, scilicet cinerem, & pulverem, convertatur: quod quidem difficile tamen videtur, eo quod nec videatur, possibile quod ex accidentibus fiat substantia, nec credi fas sit quod substantia corporis Christi, quae est impassibilis, in aliam substantiam convertatur.

Si quis autem dicere velit, quod sicut miraculose panis in corpus Christi convertitur, ita miraculose accidentia in substantiam convertuntur: primum quidem hoc non videtur miraculo esse conveniens, quod hoc sacramentum putrescat, vel per combustionem dissolvatur: deinde quia putrefactio, & combustio consueto naturae ordine huic sacramento accidere inveniuntur; quod non solet esse in his quae miraculose fiunt.

Ad hanc dubitationem tollendam quaedam famosa positio est adinventata, quae a multis tenetur. Dicunt enim, quod quum contingit hoc sacramentum in carnem converti, aut sanguinem per nutrimentum, vel in cinerem (1) per combustionem, aut putrefactionem; non convertuntur accidentia in substantiam, neque substantia corporis Christi; sed redit divino miraculo substantia panis, quae prius fuerat, & ex ea generantur illa in quae hoc sacramentum converti inveniunt. Sed hoc quidem omnino stare non potest.

Ostensum est enim supra, quod substantia panis in substantiam corporis Christi convertitur: quod autem in aliquid conversum est, redire non potest, nisi est converso illud reconvertatur in ipsum. Si igitur substantia panis redit, sequitur quod substantia corporis Christi reconvertatur in panem: quod est absurdum.

Adhuc. Si substantia panis redit, necesse est quod vel redeat speciebus panis manentibus, vel speciebus panis jam destructis. Speciebus quidem panis durantibus substantia panis redire non potest: quia quamdiu species manent, manet sub eis substantia corporis Christi. Sequeretur ergo quod simul esset ibi substantia panis, & substantia corporis Christi.

(1) *Al. aut combustionem.*